

sacramenta divina polluere, cum secundum³⁸ *katholicam fidem et^d sanam doctrinam nec sacramentis divinis nocere potest quisquam, nec sacramenta divina iniuste nocere possunt cuiquam, quia nec deus nocere inipune patitur quemquam. Qui enim nocet, ait apostolus, recipiet id quod nocuit.* Possumus etiam de hac re sententiam Nicolai pape³⁹ in medium attrahere, qui cum interrogaretur, utrum *debeat communio a sacerdote in adulterio deprehenso suscipi*, ait: *Non potest quicumque pollutus est sacramenta divina polluere, que purgatoria cunctarum remedia cogitationum^e noscitis existere, nec potest solis radius per cloacas et latrinas transiens aliquid exinde contaminationis contrahere. Proinde, qualiscumque sit sacerdos, que sancta sunt, contaminare non potest. Idcirco ab eo, usque quo iudicio magistrorum^f reprobetur, communio est percipienda; quoniam mali administrando bona se tantummodo ledant et picea^g accensa fax sibi quidem detrimentum parat, aliis lumen administrat et, unde aliis commodum exhibet, inde sibi dispendium parat. Sumite ergo intrepide ab omni sacerdote Christi mysteria, quoniam in fide Christi purgantur omnia. Fides enim est, que vincit hunc mundum, et quia non dantis, sed accipientis sit, sancto Hieronimo credendum est dicenti in omni anima suscipiente baptismum esse perfectum et in omni sacerdote corpus Christi esse perfectum, qui rursus sacre scripture concordans ait: Priusquam audias, ne iudicaveris quemquam et ante probationem illate accusationis neminem ab^h ecclesiastica communione segregare^h ... (bricht ab).*

^{d)} fehlt Hs.

^{e)} contagionum Nikolaus I (s. Anm. 39).

^{f)} episcoporum Nikolaus I.

^{g)} cerea Nikolaus I.

^{h)} h) a tua communione suspendas Nikolaus I.

³⁸⁾ Augustinus, De natura boni 40; hg. von J. Zycha, CSEL 25, 2 (1982) S. 874; Text Nr. 3 bei Folliet, Une collection anonyme S. 296; zur Verbreitung vgl. die Übersicht ebda. S. 309 (Wenrich von Trier, Bernhard von Hildesheim, Deusdedit, Ivo von Chartres usw.).

³⁹⁾ Nikolaus I., Responsa ad consulta Bulgarorum (JE 2812), MGH Epp. 6 (1925) Nr. 99 S. 592 (von den Änderungen sind nur die wichtigsten im Apparat verzeichnet). Umfänglicher zitiert im Tractatus pro clericorum conubio, ed. E. Dümmle, MGH Ldl 3 (1897) S. 592; kürzer bei Marbod von Rennes, Ep. 1, ed. H. Böhm, MGH Ldl 3 S. 693; vgl. auch Gerhoch von Reichersberg, Epistola ad Innocentium papam missa ..., ed. E. Sackur, MGH Ldl 3 S. 216, der diesen Kanon bekämpft. An Kanonessammlungen vgl. Ivo von Chartres, Tripartita I, 62, 61; Decretum II, 83; Panormia V, 13 (verkürzt).